

H

Ke. 301^a

DE
V A S O R U M
SANGUIFERORUM
INFLAMMATIONE,



TRACTATUS INAUGURALIS,
QUEM
AUCTORITATE
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
HALENSIS,

PRO
GRADU DOCTORIS MEDICINAE
LEGITIME OBTINENDO,

PUBLICE DEFENDET
DIE XXX. OCTOBR. MDCCXCVII

A U C T O R
JO. GEORG. GUILIELM. SASSE,
SUSATO - GUESTPHALUS,
SOC. SYDENHAMIANAE HALENSIS SODALIS.

H A L L A E,
T Y P I S B A T H E A N I S.
1 7 9 7.

MUSEUM
V. A. S. G. R. U. M.
SANGUIFERORUM
INFLAMMATIONE

PHYSICUS
CATHEDRAE PULSATIS MEDICAE



PHYSICUS
IO. GEORG. GENTILIUS SAGSE
HALLAE

HALLAE
1737



V I R O
SPECTATISSIMO, NOBILISSIMO
D O M I N O
JOANN. ANTON. SASSE,
MERCATORI SUSATENSI,

PATRI SUO
CARISSIMO, NEC NON MAXIME
VENERANDO,

SACRAS ESSE VULT HAS STUDIORUM
SUORUM PRIMITIAS

A U C T O R.



V I R O

SECRETARIUS UNIVERSITATIS

D O M I N O

JOHANN ANTON SASSER

SECRETARIUS UNIVERSITATIS

SECRETARIUS

SECRETARIUS UNIVERSITATIS

SECRETARIUS UNIVERSITATIS

SECRETARIUS

A U T O R

A
filii
Ti
bon
ren
jedi
go
me
Tu
ing
fen
me
ho
pie
def
mo
lun



Accipe, pater carissime, quas Tibi offert
filius, primitias, insignis pietatis documentum.
Tibi enim debeo, quicquid in me reperiatur
boni; omnis qui sum, tuus sum. Tu a
teneris inde unguiculis me erudivisti et prima
jecisti fundamenta, quibus deinde facili ne-
gotio superstrui potuit. Gratissima semper
mente recordor, quantum temporis negotiis
Tuis ipsis subtraxeris et in excolendo pueri
ingenio collocaveris. Utinam, quae animus
sentit, possem verbis exaequare! Sed officio
meo, quantum in me, saltem satisfactorius,
hoc opusculum, publicum reverentiae atque
pietatis, qua Te colo, monumentum volui
designare. Faxit summum numen, ut per re-
motissima tempora salvus vivas atque inco-
lumis. Equidem semper summa ope nitar, ne

beneficiis a te in me collatis me praestem
indignum, nihilque magis est mihi in votis,
quam ut contingat videre diem, quo factis, non
verbis, Tibi animum meum gratum ostendere
possim. Urinam dies ille laetissimus jam illu-
xisset, quem mihi praedicarem felicissimum.
Valeas, carissime Pater, neque unquam cesses
benevolentia Tua prosequi filium Tuum
gratitudine nemini secundum.

DE
VASORUM HAEMATOPHORORUM
INFLAMMATIONE.

§. 1.

Inflammationem vasorum sanguiferorum antequam describam, necesse est, ut brevibus exponam, quaenam sit mea de inflammatione idea, et quomodo morbus iste inhaerere possit vasis sanguiferis.

§. 2.

Symptomata, quae sese obferunt in inflammatione, rubor scilicet, calor auctus, dolor etc., actionem indicant vasorum auctam, unde major sanguinis affluxus, congestio in inflammata parte conspicua, ob venarum in reducendo inertiam, nervorumque vicinorum compressio ¹). Inflammatio itaque consistit

1) GAUTIER de irrit. not. p. 153.

in praeternaturali efficacia vis vitalis vasorum
fanguiferorum a causa vel externa vel interna
suborta.

Inflammatiō solummodo morbus est va-
forum, unum alterumve eorum obtinens, ac
secundum partem, cui vas laborans sese im-
mergit, diversitatem designatus; haud jure
enim totam partem aegrotare existimarunt, cui
inerant vasa incensa.

§ 3.

Vas, organum secundi ordinis, constru-
ctum est tribus ex tunicis, tela cellulosa arcte
connexis; media, quae et vasculosa audit,
magnum recipit numerum nervulorum, vascu-
lorum et fanguiferorum et lymphaticorum,
quae majoribus in truncis cultro anatomico
excindi, vel injectionis ope detegi, in minoribus
vero secundum analogiae regulas possunt agno-
sci. Quae vero vascula, praeter nutritionis
opus, alio quoque videntur fungi officio, ma-
teriem nimirum cum advehant, ex cujus de-
compositione actiones redundant, vasorum
functioni praesint, eamque dirigant et alant.
Propria quidem irritabilitate praedita, morbis
ex intemperie istius fabriciundis sunt subiecta;

auctam sequitur vasorum excessus actionum,
eorumque inflammatio.

§. 4.

Vasorum sanguiferorum igitur inflammacionem denominamus irritabilitatis vasculorum, per tunicas disperforum exaltationem; unde vasorum actio aucta, rubor, dolor, ardor, tunicarum augmentum. Utrique vasorum generi et advehenti et revehenti morbus iste potest insidere, saepius vero observatur in venis, forsan ex majori eorum irritabilitate, causarumque remotarum majori numero.

§. 5.

Symptomata, quae morbum nostrum designant, omnia cuivis inflammationi sunt peculiariora, et magnam ad partem ex organi ipsius deducuntur functione laesa. his adnumerantur:

Actio vasis aucta, accelerata: ictus arteriae incensae duri celerisque; unde efficitur, arteriam majori cum impetu in organum, cui advehit sanguinem, agere debere, organumque ipsum morbo facillime posse affici symptomatico; nec non inde elucet, morbum organi febrilem facillime posse suscitare

vasorum incendium, propter commercium, quod interest organa et vasa illis indita. In venis, motu conspicuo expertibus, hoc signo carere debemus. Inflammatio, si vel longe lateque diffunditur, vel magna systematis vasa occupat, vel demum si ipsa in regione cordis pedem fixit, totum vasorum systema particeps reddit, febremque gignit symptomaticum synochae indolis.

Calor auctus, sequela actionum vasis vehementium, ac productum operationum chemico-vitalium. HUNTERUS ²⁾ restem vidit quasi ardentem, a vena saphena inferiore usque ad inguina progredientem.

Rubor et tumor, ut in quavis inflammatione, sic et hic plerumque observantur, quamvis oculo effugere debent, cum vas inflammationis profundum obtineat situm. Optime vero perspicui possunt vasis mere cute obtectis.

Dolor unquamque plurimum comitatur inflammationem, in ea vero vasorum, rheumaticae saepius habetur indolis. Nervos inflammatorio morbo quodammodo affici debere, minime dubitandum, ipsi enim ad producendam vasorum actionem haud parvam

²⁾ Medical comment. Vol. 3. p. 1.

ineunt partem, quid? quod forsan necessario requiruntur. — In inflammatione venae medianae infeliciter tusae dolor quidem magna ex parte a nervis simul offensis est deducendus, minime vero cum BELLIO ³⁾ et SHERWEN ⁴⁾ consentire velim, quod in hac nervorum affectione omnis cardo vertatur. Inflammatio enim vasorum tusorum tum esse potest succedanea, a nervis laesis suborta, sicut et saepissime morborum nervosorum cum inflammatione observatur metaschematismus, tum vero nervorum morbum eodem tempore concomitans.

§. 6.

Inter signa vasorum inflammationis anamnesticæ jure referuntur extispicia pathologica, quae obserunt: ruborem vasorum cocci-neum per faciem internam praecipue diffusum, tunicarum augmentum, nec non luminis interni coalitum; fibram sanguinis exsudatam, nexumque organis cum vicinis inde subortum. Passim et reperiuntur accumulationes purulentæ, vel per vasis tubum libere diffusæ, vel faccis, concrescientiæ ope neogenitis, oculu-

3) Lehrbuch der Wundarzneykunst, 1. Th.

4) Medizin. Commentar. 4 Th.

fae. — Plura observationes inferius allegandae suppeditabunt.

§. 7.

Causae remotae.

Omne, quod vel injuria externa, vel irritatione, vel actione mechanica, in vasa agere, eorumque vim vitalem augere valeat, causis remotis adnumerandum. Huc pertinent:

Venaefectio infausta, causa maxime vulgaris inflammationis venae tufae et interdum arteriae simul offensaef. Antea affectiones inde redundantes, nervis solummodo et tendinibus adscribere vulneratis, nuperri-
me vero clariff. HUNTER 5), BELL 6) et ABERNETTY 7) praeclare ostenderunt, inflammationem vasorum maximam partem harum vindicare passionum. Vulneris labia, aliquo post phlebotomiam tempore elapso, sese offerunt tumida, subrubra, distantia, pressu dolent, aeger dolores sentit pungentes simul cum tumore sursum deorsumve migrantes; pulsus partis affectae duri et tensi; ardor vas inflam-

5) l. c. pag. 431.

6) l. c. p. 90.

7) Physiologische und chirurg. Versuche, I. Bd. S. 128.

matum maxime comitans, aliaque venae inflammationem confignant.

A m p u t a t i o. Hanc vasorum incendium facillimo modo subsequi posse, optime patet ex laesione mechanica ope cultri illata, et ex statu totius vulneris inflammatorio, qui cum vasis necessario debet communicari. Nec desunt exempla, quibus vasa defunctorum ex amputationis loco sursum tendentia vel inflammationis vel suppurationis signis stipata detexerunt⁸⁾.

Vulnera cujusvis generis, praesertim tormentis vel pressione et confrictionis ope illata.

Deligatio vasorum, quae impedit, quo minus vasa fungi possint suo officio, ideoque ut impedimentum rejiciant, natura vires acuit, ac inflammationem suscitatur. Morbus igitur noster potest excipere operationem aneurysmatis extremitatum, deligationem funiculi umbilicalis, funiculi spermatici, ac haemorrhoidum demum coecarum.

Expansio vasorum naturale supra volumen, status scilicet plethoricus, qui cum irritabilitate vasorum aucta et ad inflamma-

8) HUNTER l. c. p. 434.

tionem propensione plerumque invenitur con-
fociatus. Gravidis, quorum uterus vasa com-
primit iliaca, saepe incenduntur pedum vari-
ces; stagnatione enim sanguinis, vasa extensa
irritantur; eodem modo inflammatio oritur
haemorrhoidum coecarum.

Inflammatio organi, cui vasa sese
immergunt, quae vero potius vasorum re-
quirit affectionem.

Omnia demum, quae vasorum systema
mobilius reddere, vel leviori virium ejus com-
mutationi praebere possunt occasionem, ad
causas jure referuntur disponentes.

§. 8.

Differentiae morbi.

Inflammationes vasorum discrepant:

- 1) Secundum morbi sedem, ubi nominari possunt
 - a) vel partiales, si unus pluresve vasorum
rami sunt affecti,
 - b) vel universales, si totum vasorum systema
incendio laborat.
- 2) Secundum causas occasionales est inflam-
matio vasorum
 - a) vel idiopathica,
 - b) vel sympathica; quae vero distinctio so-
lummodo indicat, causam remotam illius

extra, hujus vero intra corpus esse positam 9); organum ipsum semper eodem modo laborat.

Una cum inflammatione vasorum, aliorum quoque organorum morbos vel ejusdem indolis vel specificè differentes adesse posse, unicuique patet.

§. 9.

Solutio morbi.

Prima eaque benignissima inflammationis vasorum solutio est: *Discussio*, quae, ut succedat, irritabilitatis depressionem necessario requirit. Plurimis in casibus naturae medicatrici relictis, ipse actionum excessus, vitium aequilibrium forsan restituit.

Suppuratio alter morbi exitus maxime consuetus. Inflammatio, majore impetu vigens, ad solutionem salubrem sese non accingens, in sinu suo novum producit organum secretorium, quod statu aliquo perdurante subinflammatorio, humorem fecernit subalbium, blandum, cui nomen puris. Varia sunt loca, quae pus recipiunt secretum, variaque phaenomena inde exorientia. Interdum de-

9) REILS Fieberlehre.

ponitur extra vasorum cavitatem, et tunica cellulosa passim resorpta veros efformat abscessus, quorum cita apertione tota absolvitur curatio. Saepius vero pus recluditur ipsa in vasorum cavitate, et tum prout secernitur, sanguini admisceatur, cor versus migrat, et hac ratione periculosissima signa, quid? quod mortem excitat subitanam ¹⁰⁾, vel vasis tunicae et supra et infra pus coalescunt, huic circulationis viam occludunt, et abscessum efformant, ex cujus operatione restitutio est speranda. HUNTERUS catenam quasi horum vidit abscessuum, cursum venae tufae sequentium; ABERNETTY ¹¹⁾ quoque similem per venam saphenam internam a pollice pedum usque ad inguina tendentem. Interdum pus vasorum tunicas penetrans, sub specie abscessus occurrit subcutanei, cujus communicatio cum vasis cavo incisionis ope detegitur.

Quo-

10) HUNTER l. c.

11) Chirurg. und physiol. Versuche.

ABERNETT. credit, suppurationem venae interdum esse necessariam, ejusque dissolutionem optime et morbi progressum, et puris cum sanguine commixtionem posse impedire.

Quorum abscessuum in corporis oeconomiam vis noxia ex numero eorum ac extensione facile perspicitur; omnia scilicet phthiſeos purulentae signa exinde oriri possunt, corporis consumptio, virium collapsus aliaque statum hecticum facientia.

Tertius inflammationis finiendae modus absolvitur lymphae exsudatione. Certo enim illius gradu arteriae exhalantes materiem exstillant lymphaticam coagulabilem, quae vel inter vasorum tunicas deposita volumen eorum auget, vel externe eliminata coalitionem ac concreſcentiam vasorum efficit et partibus cum vicinis et inter semet ipsas, vel introrsum delata, vasorum cavitates obliterat, ac praecludit ita, ut impostero functioni suae unquam prospicere nequeant. Eadem luminis vasorum conglutinatione cavitates formantur illae, pus secretum recipientes, quae quoque praeter prohibitam puris cum sanguine mixturem, inflammationi ipsi terminos ponunt. — HUNTERUS ex vasorum concretionem causam petit, quapropter chirurgi in vena secanda saepius fallantur, nihilque sanguinis sese exferat; tali occasione iudicat venam fuisse

B

inflammata, concretam, ac ad sanguinis circuitum ineptam plane factam.

Quae concretiones, quod simili modo fiant ac membranae pleuriticae, pleuritidem, vel conglutinationes organorum abdominis, enteritidem, hepatitidem, febrem puerperalem etc. excipientes, maxime est verisimile; frangunt enim ac solvunt morbi impetum, sed, proh dolor! infausto ac incongruo modo.

Gangraena et Sphacelus, quamquam inflammationis constituunt exitum, nec in ea vasorum sicco relinqui potest pede. Observationes vero ejusmodi solutionis hucusque prorsus non existant.

C U R A T I O.

§. 10.

Morbi nostri postquam brevibus exposui naturam, liceat, historiam quoque remediorum commemorare, quae vel inflammationis modo ebullientis curae, vel si quendam jam superaverit exitum, optime conveniunt. Unicuique primo intuitu patebit, curam, respectu generalioris modi administrationis, haud procul posse distare ab illa

aliorum organorum inflammationis medela, nec longe abest, ubi haec generalis medendi methodus propter sedis morbi inscientiam sufficere debuerit; attamen vasorum inflammationi medenti quaedam observanda sunt peculiaria, quae cum partis affectae structura, ejusque nexu cum aliis organis collineant.

§. II.

Faustissimus morbi exitus cum sit discussio, omnis cardo in eo vertatur, ut sese exferat; id quod vero nulla fieri potest ratione, nisi vasorum actiones justo majores quodammodo cessaverint ac diminuantur. Quem in finem praesertim respiciendum est ad causam remotam et quidem externam, quae morbum ciet nutritque. Paucissimis vero in casibus talis investigatio institui potest, cum vel causa agebat impressione transitoria, vel plane non valet removeri. Illis adnumerare vellem vasorum inflammationes sponte quasi nascentes, ob vasorum ad phlogosin propensionem ex causa leviter agente profectam, e. gr. refrigeratione, horrore, aliisque animi pathematibus etc. Causae vero

externae, quarum actio plane non potest impediri, longe sunt plurimae, e. gr. vasorum deligatio, uteri pressio gravidæ, vulnera etc. In vulneribus præcipue sclopetariis dentio quidem et excisio corporum peregrinorum usum feret in mitiganda inflammatione; aequè ac in inflammatione venae brachialis, ex venæfectione orta, bene inquirendum, numne pars mucronis vel aciei lanceolæ quamquam minutissima vulnere hæreat infixæ, ut eliminetur. HUNTERUS, venæ inflammationem sanguinis detractionem sequentem, cum primis deducit ex mala sanandi vulnere dispositione, quæ se exferit, si vulnere labia haud justo confociantur modo, ita ut aëris accessu maxime irritetur. Suadet igitur labiorum vulnere justam junctionem, ac ope fasciarum contra aëris injurias optimam defensionem.

§. 12.

Secundam et gravissimam attentionem meretur febris inflammatoria sympathica, magnum vasorum incendium vel inflammationem vasorum majorum plerumque concomitans. Huic scopo inservit totus appa-

ratus antiphlogisticus, farrago medicaminum in diathesi inflammatoriam diverso modo agentium. Sunt vel interna vel externa. Satis sit brevibus, quae ad generalia spectant, solummodo recensere. Primum et princeps remedium jure ponitur in venaesectione ¹²⁾, quae secundum febris ardorem instituat et repetatur; optime enim cordis vasorumque nimiam actionem hebetat ac infringit. Interne simul propinantur sic dicta temperantia et refrigerantia: ut sales medii, nitrum, cremor tartari, sal ammoniacum in hordei vel avenae decoctis solutum; aequae ac acida, praesertim vegetabilia, fructus horrei recentes, acetum melle commixtum, acidum tartari mucilaginoso decocto admixtum. Ene-mata emollientia, balneaque tota vel femi-cupia et omnia sic dicta derivantia venaesectionem optime excipiunt. Quod ad dietam, sensus aegri et externi et interni ne irriterentur curemus, animus servetur quietus, strepitus, lumina aliaque probe evitentur. Lectulus, aërique aegrum circumdans, sint subfrigidi. — Quibus omnibus inflammationis

12) FRANK epitome p. 190.

impetu optime fracto, et ut salutaris obtineatur solutio, sic dicta administrantur discutientia, quorum princeps sane est Mercurius, camphora opioque nuptus 13). — Finem demum curandae febris inflammatoriae symptomatice faciant roborantia ac nutrientia, ob debilitatem ex morbo et ipsius curatione subortam. Quibus adnumerantur amara, spirituosissima juncta, subirritantia, martialia, aliaque. Praefertim hic eminent Cortex peruvianus, cujus usus jam indicatur, simulac febris formam induat remittentem.

§. 13.

Medelam nunc aggredior vasis incensae topicam, externis praecipue absolvendam. Remedia exstant, quae, ut inflammatio vix suborta statim supprimatur, optime possunt tentari, discutientia nimirum fortiora ac irritabilitatem deprimentia, ut: aqua gelida, saturnina, camphorata, ope epithematum perhibita, alcali volatile oleo solutum, aliaque. Potissimum vero respondet frigus, quod magno in gradu actiones organorum optime

13) RAMBACH de Merc. usu. Hal. 1796.

infirmat, aliisque in inflammationibus maximo adhibetur emolumento ¹⁴⁾. — Quae vero remedia, in inflammatione vel adulta vel nimis resistente, amplius non quadrant, tunc potius ad relaxantia ac emollientia mitiora est refugiendum. Imprimis vel hirudinum parti affectae quamproxime appositarum, vel scarificationum ope plethora diminuatur localis; ecquod faciunt cataplasmata emollientia, fomenta tam mera ex aqua tepida, quam ex herbarum feminumque emollientium decoctis parata. **BELLIUS**, existimans, affectiones venam male tufam excipientes, nervo solummodo laeso esse tribuendas, repudiavit cataplasmatum ac fomentationum administrationem, nervina contra exigit ac sedantia; aff diagnosi probe insituta, et complicationis ratione bene distincta, emollientium usus minime videtur absonus; cui accedit, quod organum secundarie, affectum simili modo patiatur, quam quod primarie laesum, nec ad curationem tantum faciat discriminis, quodque nervorum incendium itidem plerumque exigit antiphlogistica.

14) RIGBY über die thierische Wärme.

§. 14.

Vasa cum unum et continentem formant canalem, facillime evenit, ut inflammatio unius partis ulterius propagetur, et demum cor ipsum attingat. Verumtamen supra dictum, cohaesionem ac conglutinationem tunicarum vasis inflammationi ipsi terminos ponere; HUNTERUS igitur aliique suaserunt, compressione quadam supra infraque inflammationis locum concretionem efficere artificialem, cujus salutarem effectum experientia jam comprobavit; nec ullo alio modo incendio varicum gravidarum aliorumque vasorum nimis extensorum potest praecaveri, nisi compressione, fasciaeque Rhedanii.

§. 15.

Inflammationis ardore hisce fatis superato, externa adhibeamus subirritantia, quibus vis vitalis, ad discussionem perficiendam, paullulum suscitetur. Huic scopo respondent herbae subaromaticae, linimenta alcalina volatilia, camphorata, vesicatoria parti affectae quam proxime imposita, aliaque.

§. 16.

Suppuratio cum inflammationem jam sequuta fuerit, bene respiciendum, ne puris fiat cum sanguine mixtura; cui prospici potest, si compressiones supra dictae quamprimum adhibeantur. Hac ratione pus in cavitate quadam praecluditur, et abscessum constituit, qui manu chirurgica optime potest fanari. Quodsi vero compressio ob vasis affecti situm nequit insitui, vel nimis fera contingit curatio, tunc ex materiei purulentae sanguini admixtione omnes se exferunt phthiseos notae, aliaque sanguinis depravati gravia signa. Remedia, quae in statu tam dubio adhuc restant, sunt blanda, sic dicta edulcorantia, excretiones promoventia, ut: lac, aqua Selteriana cum lacte mixta, cortex, aliaque.

OBSERVATIONES.

§. 17.

Quum de inflammatione vasorum apud veteres, ceu morbo simplice et peculiari, nullam inveniamus descriptionem, nec observationem, operae pretium duxi, si observationes hucusque factas, et a neotericis, ad morbi naturam evincendam prolatas, breviter colligerem. Primus quidem et princeps

morbi observator fuit HUNTERUS, 15) cui et alia de inflammatione debemus praeclara. Principio suspicatus est incendium vasorum ex morte equorum subitanea, quorum venae, in nuchae regione sitae, antea fuerint tusae. In-
 dagatione et sectione candida expertus est: cavum venarum incensum, ac inflammatio-
 nem per faciem earum internam usque ad pectus, interdum quoque ad cor ipsum propa-
 gatam. Insuper et aperuit hominibus absces-
 sus, venaesectionem excipientes infaustam, qui viam sequebantur venae tusae, ac hujus tunicis videbantur occlusi. — Internam fa-
 ciem venarum, abscessus pulmonum undique attingentium, non solum invenit inflammatam, sed quadam etiam distantia suppuratam, ita ut limites et inflammationis et suppurationis commode posset designare. — Aequae ac ve-
 nas, membrorum post amputationem, magno inflammationis gradu vidit correptas, sibi-
 que persuasum habet, nullam aliam esse ratio-
 nem, quapropter inflammatio tam velociter et ad tantam a loco vulnerato distantiam possit transferri. His observationibus addit eas,

15) Medical comment. l. c.

quae, quod mali venaesectionem excipientes
 effectus venae inflammationi adscribi debeant,
 optime comprobant. Vir, ob venam basili-
 cam injuste tusam, inflammatione brachii dex-
 tri afflictus, in nosocomium delatus, octo post
 dies subito obiit. Vena aegrotæ, simul cum
 arteria aliisque partibus vicinis a medio
 antibrachii usque ad axillam, excissa, HUN-
 TERO est donata, ac inquisitione instituta, to-
 tum venae cavum invenit inflammatum. In-
 flammatio a loco incisionis expansa fuit us-
 que ad axillam, immo paullum infra descen-
 dit. Media brachii vena suppuraverat, ac ope
 absorptionis partium abcessum attingentium,
 duas in partes erat divisa, quarum singulae
 singulos simularunt abcessus. Vulnus, lanceo-
 la incisum, hucdum fuit apertum, et facilli-
 me potuit permeari; tunicae vero venarum
 valde fuerunt incrassatae, adeoque lympa
 coagulabili coopertae, ut sanguinis vectio-
 nis factae sint plane ineptae. Passim occurrit
 ipsius laminis interni conglutinatio, arteriae-
 que vicinae coaffectio. Ductus ex abcessu
 ad venam axillarem tendens occurrit pervius,
 ope cujus materia purulenta sanguini admisci
 potuit refluenti, undeque Hunterus mortem

susplicatus est subitanam: eequam opinionem experimentis confirmat in canibus institutis, quas materia et blandissima venae injecta vel subito necavit vel valde aegros reddidit. — De salutari vi adhaesionum in impediendo inflammationis progressu, multa vidit exempla, praecipue unum idque praeclarum, ubi ex vulnere inferiori pedi inflicto, vena suppuravit saphena, ac adhaesionis ope tunicae internae unam formavit abscessuum catenam a pollice pedis ad inguina usque scandentem. Singulis apertis sanitatem restituit.

§. 18.

Haec observationes cel. HUNTERI, quamquam morbi sedem optime demonstrant, et causae exitusque eam quasi indignant, at tamen BELLIIUS et SHERWEN de hac re quam maxime dubitaverunt. SHERWEN quidem non potuit, quin unum commemoraret exemplum, quod HUNTERI sententiam sibi videbatur comprobare. ¹⁶⁾ Femina senex ad venam tusa medianam, paucos post dies ob dolorum cruciatus et inflammationis ardorem

16) RICHTERS Bibliothek, Band 5. S. 72.
Medizin. Commentar. B. 4. S. 221.

auxilia quaesivit auctoris. Dolores crescebant, donec ad paucarum pollicum distantiam infra incisionem, inter musculum flexorem carpi radialem, et radii supinatore, sese obtulit abscessus. Ipsa incisionis apertura suppuravit, et per longum temporis spatium hiavit. Abscessus paullo post, ex inflammatione per venae tubum sursum elata, infra claviculam subortus, morbum plane absolvit.

§. 19.

Celeberr. FRANCKIUS inter primos est, qui ex signorum ratione, et vasorum post mortem habitu, horum inflammationem sunt suspicati.¹⁷⁾ „In vehementissimis, inquit, inflammatoriae naturae febribus, sub enormi cordis arteriarumque actione, non modo has ipsas, sed venarum totam compagem, interna superficie, undique profunde rubentes, ac inflammatas nos primum conspeximus, similesque arteriae, imprimis magnae, phlogoses partiales, sub iisdem circumstantiis, jam pluries ostendimus.”

17) FRANK epitome de curand. homin. morb.
Lib. I. pag. 187.

Eidem auctori maxima forsan ex parte observationes debemus, quas protulit SCHMUCK, ¹⁸⁾ quarumque pauca proferre lubet. In juvene, affectus pectoris ac cordis palpitationes antea perpeffo, peritoneum repertum est inflammatum, vasisque rubris pertextum; facies aortae interna ad sex pollices a corde diffans, colore se obtulit coccineo. Externe vasa habitum tenebant naturalem. — Alio in corpore, peripneumonia defuncto, aorta, arteriae carotides, claviculares, tota aorta abdominalis, usque ad pelvim, quid? quod et femorales conspectae sunt coccineae, nec rubor ullo modo potuit abfergi. — In opifice, cui cubitus fuerat inflammatum ac exulceratum, vena cephalica, axillaris, arteriaeque ejusdem nominis post mortem occurrere perrubrae. — In alio, cui os petrosum violenter fuerat fractum, arteria carotis interna et externa, thyroidea superior, labialis, occipitalis, pharyngea, venaque jugularis, omnibus inflammationis signis fuerunt ffitipatae.

18) SCHMUCK *diff. sist. observ. med. de vasor. sanguifer. inflammat.* Heidelberg. 1793. 4.

§. 21.

ABERNETHY 19) quasdam nuperime communicavit observationes de venae sectae inflammatione. Primo in casu ad trium pollicum a loco incisionis distantiam, et supra et infra vulnus vena fuit incensa, magnopere intumuit, integumenta rubuerunt et doluerunt, febrisque adfuit concomitans. Ardore ac tumore sublatis, vena supra vulnus sanatum compressa infra compressionem nullam ostendit a sanguine dilatationem. — Alia in observatione versus vulneris partem inferiorem usque ad manus carpum inflammatio descendit. Persuasum sibi habet, conglutinationem tunicarum venae internarum impedimentum constituisse, quominus inflammatio diffundi potuerit.

§. 22.

His demum accensendae sunt observationes, quas mecum communicare voluit, praeceptor omni pietatis cultu prosequendus, Domin. a consil. intim. MECKEL: „Bis, inquit venerandus Vir, in recens natis, ut aequae bis in adultis, venarum inflammatio-

19) l. c. p. 180.

nem, ejusque sequelas, crustam nempe inflammatoriam, ab exsudatione laticis lymphatici inspissati enatam; suppurationem; immo ulcerationem, praesertim tunicae venarum internae observavi. Facta inferius annexa eo luculentius et hodie rem probant, quum specimina harum venarum, in spiritu vini asservata, oculis ea exacte loquuntur, quae jam describenda mihi sumsi.

Observat. I.

Faustissimis ominibus, a matre sana, viginti et aliquot annos nata, unum partum hucdum eumque felicem perpeffa, natus est puer, legitimum partus terminum, tam ratione longitudinis quam reliquae corporis sui molis, declarans. Omnia, tam quoad facilitatem partus naturalis, quam respectu bonae valetudinis matris et neonati, per duo nychthemera ita se habebant, ut infelix rerum exitus, infanti fatalis, nequaquam exspectari potuerit. His vero exactis, matri propter lactationem a concretione papillarum impossibilem redditam (quod jam in puerperio ante duos annos praegresso iidem acciderat,) symptomata solita

lita

lita tam localia mammarum, quam universalia, ab irritatione pendentia, subvenere. Valida licet fuerit febris per aliquot dies, levata tamen mitioribus fuit remediis. —

Interim vero puer, cui lac maternum deficiebat, quem blando hoc nutrimento alienis e fontibus refici denegabant parentes, varia ingesta accepit, ad sitim famemque sedandam, ejus tamen naturae, ut iis causa symptomatum infra dicendorum et rerum, quae per sectionem detegebantur, vix tribui potuerit, cum e mucilaginosi (qualia decocta avenae excorticatae, panis similaginei, cum exigua lactis vaccini tenuis quantitate mixti offerunt) constarent. — Enata nihilominus sunt quarta post partum die symptomata indigestionis, vomitus lactis grumosi, pituitae; ructus, murmura ventris, meteorismus, diarrhoea mucosa, biliosa etc. Jam nunc cutis color, qui plerumque his diebus e rubro in pallidiorem flavum mutari solet, in ictericum profunde tinctum versus est. Valida febris, gemitus continui cum symptomatibus dictis, medicamentis tam externis, quam internis cedere noluerunt. Accedentibus signis nervosis etiam

parum salutaris medicina fuit, decimoque a vitae initio die, emaciatus diem supremum obiit. — Enormis abdominis expansio, dolores ad ultimum usque halitum tenellum excruciantes, non vulgarem in abdomine latere morbi causam testabantur, et sectionis votum movebant, cui benigni cessere parentes.

Apertum abdominis cavum, largum exhibuit puris lymphatici viridis copiam. Omnia abdominis viscera, hepar praesertim, crusta lymphatica erant obiecta, quae spissi, in membranas formati puris habitum prae se ferebat, dum in fundo pelvis lympa floccis purulentis commixta haesit. Absterfa haec lympa, firmissima neogenitae membranae consistencia, intimaque, cum subjacente peritonaeo, tam intestina, quam ventriculum, hepar, lienem, simulque posteriorem vesicae urinariae superficiem obducente, connexio visa est; peritonaeum vasis sanguine farctis, qualia ab injectione colorata, dum felicissime succedit, esse solent, ipsum duplo certe crassius, quam in naturali statu fuit. — Ramorum venae portarum, ubique per abdomen vagantium turgor, praesertim trunci venae umbilicalis, ab umbilico inde ad hepar usque ex-

panfio praeternaturalis, attentionem in se traxere, docuitque exactior dictorum vasorum lustratio, non a sanguine, quibus facta esse videbantur, sed a tunicarum ipsarum adaucta crassitie volumen ultra legitimos terminos coactum fuisse. Quam nuuc coram oculis habeo, vena umbilicalis, una cum initio ramorum in hepar tendentium, parietum crassitiem, lineam in trunco, duas in hepate ipso superantem, manifestat. Crusta, quae dicitur inflammatoria, intimae venae tunicae firmiter adhaeret, sicque luculenter declarat, inflammationem venam ipsam occupasse. Visa jam iudicium nostrum de morbo ejusque causa id fecere: Peritonitidem, quam supra dicta phaenomena aperte declarabant, sequelam inflammationis venae umbilicalis, ejusque ramorum, arcto nexu cum iis venae portarum in fetu et neogenito nexorum, fuisse. Anne icterus exinde peritonitidem antecedens eamque concomitans? Anne frequentem hunc venae morbum; ejus vulneris sub refectione funiculi umbilicalis; frictionis, quam pro eliciendo sanguine solito instituunt; ligaturae ruditer saepe et nimis in vicinia tegumento-

rum abdominis, factae, sequelam, inquirendo exactius, reperiemus? ²³⁾).

Observat. II.

Post praegressos duos partus naturales, quos felix exceperat puerperium, tertia vice gravida mater sanissima, legitimo partus termino dolores sensit solitos. Horum augmentum successive omnia ea praestitit, quae cum natura succedere solent, donec positio fetus scenam mutaret; ea enim fuit, ut nates offerret optimo quidem situ, ita nempe, ut dor-

23) In puero neonato ad septimum usque diem sano, praegressa matris, quae puero ubera praebat, ira, erysipelaceam, a praeputio incipientem, mox supra omnem cutis ambitum productam inflammationem, tertia ab ortu die lethalem notavit Vir Cel. OSTANDER, neue Denkwürdigkeiten für Aerzte und Geburtshelfer, Erst. Band, Gött. 1797. Cum nostris admodum conveniunt verba: Zwischen den Gedärmen, besonders in der entzündeten Lebergegend, war eine gelbe eiterähnliche Materie; ähnlich derjenigen, womit man zuweilen die Gedärme der an Eingeweideentzündung verstorbenen Menschen, besonders der Wöchnerinnen, zusammengeleimt findet. — Besonders merkwürdig schien es mir, daß mit eben solchem gelben Eiter die Vena umbilicalis bis an die Pfortader angefüllt war.

sum fetus anteriorem uteri superficiem respi-
 ceret. Praesens obstetrix naturae partum
 commisit, cujus difficultates exinde non leves
 pro matre, infelices fetui factae sunt. Dum
 enim mater doloribus in fundo pelvis et geni-
 talium a distensione laborabat; gravior, quam
 quae solet, excitata est febris; haec tamen,
 partim salutari et copiosa lactis per mammas
 excretionem, partim medicamentis lenioribus,
 sedata fuit. — Puer vero a pressione abdo-
 minis sub partu dicto, majoribus certe, quam
 in situ naturali, herniam inguinalem dextri
 lateris, nulla arte ab initio e loco movendam
 nactus, symptomata incarcerationem comi-
 tantia hinc passus est. — A medicamentis,
 his sub conditionibus salutaribus, tertio de-
 mum die, intestini prolapsi repositio, et cum
 ea symptomatum levamen allatum fuit; re-
 mansit vero abdominis inflatio, dolor exqui-
 situs; hunc quarto die icterus comitatus est.
 Symptomata graviora facta sunt, ita ut, cum
 meteorismus, quamvis fecum evacuatio suc-
 cedebat, accederet, emaciatus admodum,
 cum omnia nutrimenta tum vomitu excerne-
 bat, tum respuebat, septima die e vivis ex-
 cederet. — Sectio peritonitidis in suppura-

tionem terminatae phaenomena iis plane similia manifestavit, quae in observatione prima fusius descripsi. — Venæ umbilicalis habitus externus cum eo convenit, quem ibi dixi, sed luculenter inflammationis venae hujus cum ea primorum in hepar pergentium ramorum signa, hoc in casu eo adaugebantur, quod verum pus parietes obtegeret, huc et illuc simul erosiones tunicae internae, quasi exulceratae apparent. Licet causa peritonitidis omnino a pressione abdominis sub partu dicto inevitabili, una cum herniae ortu repetenda sit; ejus augmentum ab incarcerationatione intestini facile derivetur; nescio tamen, anne venae umbilicalis inflammatio et hoc in casu, ut in antecedente, tanquam alius, non levis momenti fons inflammationis lethalis accusanda sit.

Observat. III.

Generosa femina, aetatis anno trigesimo, secunda vice gravida facta fuit, postquam duos ante annos, fausto fati partu, filiam enixa erat, infausito tamen puerperio, ob ulcus, mammae sinistrae, sinuosum, sanatu difficillimum, a solita sanitate haud parum recesserat. —

Accedebat, quod robustae personae habitum, potius mentiretur, quam revera possideret; torofitas enim a laxitate solidorum, adipis generationi favente, rubedo saepius genas obtegens, ab eodem vasorum statu et a sensibili admodum systemate nervoso, derivandae erant. A labe scrophulosa caeterum libera non erat, uti per glandulas conglobatas colli tumidas, glandulosam palpebrarum inflammationem, qua nonnunquam laborabat, patebat. — Nihilominus graviditatis hujus felicissimo decursui nihil obfuere dictae circumstantiae; contra potius floridior quotidie evasit ejus facies; quadrata ita facta fuit, ut quisque sanitatem ejus laudaret, ipsa assentire laudibus cogeretur. — Ita res se habebant, cum doloribus primo levioribus, dein gravioribus ad partum legitimo graviditatis termino, vexaretur. Magna ventris moles jam antea gemellorum suspicionem moverat; haec vero falsa erat; mox enim, molem ventris ab enormi infantis magnitudine pendere, explorando confirmabatur, cum enormitas capitis eo se declarabat. Exinde lentus et difficilis partus redditus fuit, mutatoque parumper digitorum auxilio, situ capitis non plane favente, absque alio artis

adminiculo, expulsus fuit puer insolitae omnino molis, cum decem libras pondere aequabat. — Abhinc non parum defatigata, eo debilior reddita fuit, quod tam sub solutione placentae, naturae relictae, quam post eam magnam sanguinis copiam perderet. Lypothymia corripiebatur, non facile fuganda, a qua tamen restituta, analepticis refecta, bene convaluit. — Primis puerperii diebus praeter virium defectum nihil erat monendum. — Mammae tunc muneribus suis accommodare sese inceperant, cum inopinato valida incensa fuit febris cum doloribus non in uteri sedem tantum, sed ultra hanc in maximam abdominis circumferentiam, diffusis. — Remisit quidem, commodis in usum vocatis remediis, febris, tertio ab initio die; superstites attamen dolores supra dicti non nisi post septimanam et ultra una cum lactis imminutione, totalique tandem ejus abolitione, fugati sunt. — Prosperum rerum exitum sperare, concedebat earum tunc facies, cum quotidie et virium et boni habitus augmenta perciperentur. — Exacta tertia puerperii septimana rediit vero febris valida, frigus enorme, major exceptit calor; remittentis biliosae initium erat, quam

post duas septimanas excepit intermittens variis typis, nunc quotidianae, nunc tertianae; immo quartanae ludens. — Incaſſum adhibita fuere omnia auxilia; lenta enim febris, cum expectoratione puris viridis coloris, qualis dilutae bilis eſt; doloribus praefertim hepatis' regionem, quae etiam praeter modum a tumido extus ſentiendo hepate turgebat, occupantibus, ultimis vitae diebus prae reliquis regionem inguinalem ſiniſtram, eamque coxae hujus horrendo modo afficientibus; decima quinta puerperii hebdomade, admodum et viribus et mole extenuatam reddidit, ita ut poſt perpeſſos graviffimos affectus tandem miſere mortem cum vita commutaret. — Emaciatum licet quoad faciem et pectus, reſpectu praefertim naturalis defunctae habitus, ſeſe viſui offerret cadaver, tumidum tamen praeter modum apparuit abdomen; mollis ubique, excepta hepatis regione, tactui ſe praebuit tumor. — Dubia cum circa expectorationis purulentae viridis ſupra dictae fontes; circa naturam intumeſcentiae et mutationis hepatis; denique circa cauſſam doloris immanis inguen ſiniſtrum coxamque ejuſdem lateris occupantis ſuper-eſſent; examini ſubjicienda

erant pectoris aequae ac abdominis contenta. Sectio integumentorum hinc a medio jugulo ad symphyfin pubis; transversim sub umbilico per abdominis integumenta instituta fuit. Mirum fuit, quantum adipis et nunc cellulosa abdominis farciebat, cum pollicis crassitiam, ni superaret, saltem aequabat. Una haec caussarum mollis abdominis distensionis, ejus alia manifestam se reddidit, cum scapellum per lineam albam, admodum expansam in peritonaei cavum penetraret; effluxit enim lymphae flavo viridis coloris quantitate aliquot librarum, quae, licet fundum pelvis praesertim occuparet, flaccida, adiposo fatis mesenterio suspensa intestina, tamen ita inundabat, ut haec cum omento, nequaquam adipe suo destituto, intra eam fluitarent. Hepatis volumen tale erat, ut omne intestinum colon ascendens ad coecum usque velaret; sinistrorsum ascendens a crista Ilei dextri supra maximam intestinorum tenuium partem, per umbilicalem regionem, ad hypochondrium sinistrum supra ventriculum ferebatur, ita, ut lienis extremum superius immediate contingeret. Figura triangularis hinc reddita fuit, ita ut apex dexter cristam Ilei dextram, si.

nister lienem, superior diaphragmatis portionem costalem dextram, obtuso ductu in lobi dextri marginem posteriorem terminatus occuparet. Color e cinereo flavus erat; substantia ad tactum mollis, eadem, cultro anatomico secta, apparuit. Pressione partis resectae, e cavernulis minimis parenchymatis exprimebatur aliquid puriformis viridi-flavi liquoris. Lien flaccidus, paullo volumine naturalem superabat. Pulmones tam quoad habitum externum, quam internum, sani erant; exigua mucii viridis, cum aëre commixti, copia, bronchos et asperam arteriam opplebat. — Supererat loci, quem ultimis vitae diebus dolor gravissimus occupavit, disquisitio. — Metastatice delatum fuisse vel in ambitum articuli femoris vel in acetabulum ipsum acre quoddam, inflammationis vel ejus sequelarum signa quod effecisset, post mortem detegenda, exinde certius sperabam, quo extremum hujus lateris alterum tumore oedematoso excederet, circumferentia articuli sinistri femoris alteram ambitu superaret. — Longitudinale hinc vulnus, vasorum cruralium directione, per inguinis tegumenta ductum fuit. Circa glandulas inguinis conglobatas, tumidas, ef-

fusa haerebat lymphæ, illi abdominis simi-
lis, eadem ambiit arteriam, venam, ner-
vumque cruralem. Inter arteriam et venam
tanta erat similitudo externa, ut albedine,
duritie, firmitate, ni hæc illam superaret,
saltem plane cum ea conveniret. His
emota attentione, deorsum ad poplitem,
sursum ad finem in venam cavam descenden-
tem usque, ubi Iliacæ communis nomine
nota est, cellulosam ambeuntem removendo
nudata fuere comitantia sese vasa, idem cum
vena hypogastrica, ejus comite arteria factum
est; ubique idem erat horum vasorum habi-
tus externus. — Discissa inferius et superius
simul vasa diversum liquorem miro omnino
modo largiebantur, cum ex arteria sanguis
limpidus, tenuis, e vena vero ejusmodi qui-
dem sanguis, sed pure commixtus efflueret.
Dissecta dicto tractu vena parietes visui mani-
festavit illos arteriæ crassitie excedentes,
crassos ita densosque, ut stridorem sub dis-
sectione, quæ forcipis fiebat auxilio, ederent.
Crassissima erat, ubi sub ligamento Poupartii
in abdomen fertur. Abluto caute a facie
interna sanguine purulento, solito spissior et

laxior apparuit tunica venae interna, quam praeterea evidens obducit crusta inflammatoria, tenera adeo nonnullis in locis, ut facile dilaceraretur, nunc in panniculos variae magnitudinis divisa, liquori, in quo asservatur, innatet, ita tamen ut tunicae venae adhuc continua sit, tam ubi integra adhuc habetur, quam ubi in panniculos divisa cernitur. Valvularum ab inflammatione mutatio varia occurrit; aliae enim earum lacerae, erosae quasi apparent, dum aliae, praeter modum incrassatae, tument, et nunc post longam fatis asservationem fuscae rubent. Plura licet ad morbum gravem lethalem reddendum concurrant, uti ex sectione patet; ultima tamen, quae in venis acciderunt, partim locali irritatione, ejus testis immanis dolor erat; partim puris in venae parietibus geniti cum sanguine commixtione, quam certe natura ferre non valet, mortem effecisse, asserere non dubitamus.

Observat. IV.

Tertiae graviditatis septimum mensem feliciter superaverat N. N. cum praemature doloribus ad partum excitabatur. Horum

auxilio luci tradidit mortuum infantem. Quo vero felicius hocce partus absolvebatur stadium, eo majoribus difficultatibus solutionis placentae negotium premebatur. Incausum omnia praeter manus auxilia erant, cujus ope post longum et difficilem, dolorificum admodum laborem, tandem deglubebatur placenta. — Haemorrhagia non minima una cum doloribus, quibus jam ante placentae solutionem, praesertim vero sub eadem, majorive paene gradu post eandem, excruciebatur; una cum laxissimo habitu corporis, scrofuloso viru maximopere infecti, effecere ut statim post absolutam operationem, mortuae ad instar, lectum peteret. Licet analepticis, quantum per diaetam et medicamenta possibile erat, reficeretur; anodyna continuo, ad sedandum dolorem, qui nunc praesertim regionem ossis sacri occupabat, in usum vocarentur; non potuit tamen impediri, quin vehemens incenderetur febris, quae acutae primis hebdomadibus, insequentibus duabus, per quas miseram adhuc vitam traxit, lentae genium secuta est. — Symptomata causam malorum illustrantia interea notanda fuere:

1) Dolores mediam et inferiorem regionis hypogastricae partem occupantes, exinde in fundum pelvis deorsum, sursum vero ad regionem lumbarem dextram extensi. 2) Humor puriformis albus copiose et continuo rivo e genitalibus effluens, subfoetidus. 3) Ejusdem plane naturae liquor partim et plerumque absque fecum mixtione, raro cum exigua laticis flavi additamento, ex ani orificio, emanans. Hocce rerum statu, festinante gradu ad ultima fata pervenit. Emaciatum et omni sanguine exhaustum cadaver sectione disquisitum fuit. Abdominis apertura ratione partium in peritonaei sacco contentorum nil notatu dignum prodidit, praeter concretionem omenti, fat adipe turgidi, cum tuba et ovario sinistri lateris. — Remotis intestinis tenuibus, uterus visus est non fundum pelvis tantum, sed partem superiorem hujus cavi et hypogastrium occupans; fundus ejus sphaerice eminebat, superficies anterior protuberabat, sed levi peritoneo obducta eidem vesicae urinae membranae ex adverso jacebat absque ulla mutatione praeter eam, quam puerperium ratione ambitus produxit. Eo major vero occurrit superficiei uteri posterioris

mutatio; peritoneum enim, licet a fundo inde ad pollicis distantiam usque glabrum descendebat, nunc filamentis cellulosis, cum pure remixtis, cohaerebat cum intestino recto, ita, ut profundum, quod hicce locorum interdictas partes habetur, cavum plane desit. Pus illi simile, quod ex vagina et ano excernebatur in vita, non exigua copia et hic haerebat. Absterfo undique pure hoc fluido, immissoque caute in fundum cavi, cellulosa oppleti, stylo, detecta fuit apertura styli recipiens, isque levi negotio in recti cavum penetravit. Venarum uterum circumdantium, truncorum hypogastricorum turgor, idem Venae caeve inferioris praesertim renem dextrum versus; rationem dedit, ut omne systema uropoicum cum illo generationis nexum eximeretur. Nunc paries intestini recti posterior e medio per longitudinem dissectus styli antea immissum prodidit ex apertura trium ad quatuor linearum peripheriae, scirrhusae, parum ulceratae prodeuntem, sicque ulcus fistulosum declaravit uterum inter et rectum uno majori, altero foramine minori in recti cavum hians. Vagina lateraliter una cum utero, cavo suo illi vaginae

con-

continuo, dissecta, puriformi materia obducta
 visa est; simili fluido scatebat uteri cavum
 ultra quatuor pollices longum, tres paene
 latum, parietibus sat adhuc a sese distantibus.
 Placentae sedes in posteriori uteri pariete eo
 et nunc a reliqua uteri interna superficie
 discernenda erat, quod fungosa, sed non ultra
 duas vel tres lineas eminens, inaequalis
 massa, cum utero firmiter cohaerens et
 illi continua, eodem loco reperiebatur.
 Momento dignus status venarum ante dicta-
 rum ad disquisitionem coëgit; mundatae hinc
 ab ambeunte cellulosa venae fuere; sicque
 omne systema venarum uteri et spermatica-
 rum non quoad lumen tantum, sed quoad
 parietes solito spissius occurrit. E venis
 discissis merum pus effluxit, quo praesertim
 vena cava abdominalis in renis dextri vicinia
 opplebatur. Dura et tumida, a massa intra
 cavum haerente, pars venae cavae, quae rena-
 lem dextram recipit, per longitudinem secta,
 praeter crassos ultra duplum parietes, fluidum
 intra pus, polypum e membranis a crusta
 puriformi effectis superne cavum, inferne
 totum solidum, duos pene pollices longum,

D

omne paene lumen venae cavae occupantem monstravit. Producebatur hic in venam emulgentem, ita ut ejus trunci primorumque ramorum (tunicarum suarum inflammationem adhuc crassitie et rubedine declarantium) lumina plane obturaret. Contulere plurima ad morbum fatalem reddendum; nonne tamen et hic mors ab alienato admodum venarum statu?

EXPERIMENTA.

§. 23.

Observationes de vasorum inflammatione, quum hucusque, ut colligerem, copia mihi non fuit perhibita, ast morbi phaenomena oculis perspicere propriis quam maxime flagrans, mecum constitui, animalibus artis ope morbum inculcandi. Quae mihi hic occurrere notanda, quaeque ex visis redundant, candide ac manu tradam suspensa.

§. 24.

1) Cani^m adulto vasa denudavi cruralia, duos ad pollices infra inguina usque ad poplitum, utramque et venam et arteriam tinctura illinivi cantharidum; cutem futurae ope levi-

ter adunavi. Duos post dies, irritamenti effectus perscrutaturus, futura referata, vulnus se obtulit valde inflammatum ac tumidum, labiaque exsudationis ope partibus cum vicinis concreta. Vasa, materie circumfusa vix deliberanda, faciem monstrabant subrubram; interne et inferiori parte lymphæ coagulata erant inferta planeque in via, ad superiora vero membrana tenera obiecta, sub qua tunicae vasorum permultis rubebant vasculis. Volumen tunicarum, praesertim vero venae, ob vasculorum turgorem maxime erat auctum. Oculi ope armati, textura detegebatur praeclara, quam vascula in vasorum tunicis constituebant. Polypus, fibrae sanguinis exsudatione subortus, firmioris compagis erat in vena, discissus vero nullum ostendit vasorum ramulum.

2) Vasa cruralia ejusdem canis eodem modo praeparata, et duos ad pollices supra poplitem rite subligata, tinctura irrigavi cantharidum. Post biduum vulnus se exhibuit aequè tumidum ac inflammatum, partiumque occurrit cohaesio. Utraque et vena et arteria

habitu ferebant rubrum, sanguini passim ad-
 sperfo similem: arteria ligaturae loco in-
 primis erat tumida, vasisque turgebat refertis.

3) Cani sexennario crus artis lege ampu-
 tavi, vasisque bene subligatis, vulnus leviter
 devincivi. Involucris tertio die demtis, om-
 nia bonum prodiderunt adspectum; inflamma-
 tio haud gravis, nec rubor nec tumor justo
 major, lymphae exsudatae vero magna pars,
 unde cutis partiumque laesarum coalitus. Va-
 sa signa inflammationis omnino ferebant, fa-
 cies enim interna materie obducta erat exsu-
 data, subalbida, quae quasi pseudomembra-
 nam constituebat ac magis luculenter appare-
 bat in arteria. Sub novo hocce tegmento tu-
 nica se obtulit maxime vasculosa, ceu colo-
 re coccineo tincta.

4) Crus canis adulti itidem amputavi,
 vasisque rite deligatis, horum extremitates
 tinctura euphorbiae illinivi. Vulnus post bi-
 duum nudatum inflammationem exhibuit ma-
 xime gravem; tumor totius cruris ardorque
 gravis materiei saniosae ac mali odoris efflu-
 xus. Vasa praecipue incendio correpta, dete-
 gebantur rubra, undique tumida, et lymphae
 passim circumfusa. Ligaturam solutam san-

guis haud sequebatur, ob luminis vasorum arctam obturationem. Vasorum contenta maximam ad partem erant materies subalba sanguine mixta, interne fluidior, tunicam vero internam membrana sub forma obvestiens. Vena, iisdem quidem inflammationis signis stipata, materiei tamen continebat multo minorem quantitatem; sed, quod notatu dignum, cum inflammationis vestigia ultra vellem perferutari, ad tres pollices infra regionem inguinalem, forte occurrit tumor, magnitudine phaseolae, forma subrotunda, coloreque subrubro. Accuratori investigatione, abscessus detegebatur venae cruralis; lumina enim venae ab utraque parte erant constricta, sed non plane occlusa, ita ut acus vix posset permeare aperturam. Materies abscessus puri erat simillima; facies ipsius interna permultis rubebat vasculis. -- Inflammationis vasorum vestigia hocce in casu reperiebantur tam in majoribus iliacis, quam in minoribus ramulis per musculos dispersis.

5) Totum cuniculi crus cute denudatum, succo iridis pseudacori expresso illinivi. Et exinde cernebatur vasorum status inflammatorius, omnia cum primi tum secundi ordinis

rubebant, tuebant, nec excissa lotionis ope
rubedinem perdebant.

6) In cuniculi abdomen, caute perforatum, humoris ejusdem semiunciam injeci. Animal ob intestinorum gravem inflammationem, sequente die reperiebatur mortuum. Inter dissectionem occurrit peritoneum vasis turgentibus ubivis repletum, justo crassius, cum intestinis passim concretum, ad incisionis locum adhaerens, et aperturam nova ipsius propagine occludens. Omentum, eodem modo affectum, ac artis ope quasi injectum, cum intestinis arcte cohaerebat. Maxime vero affecta spectabantur intestina crassa, colon nimirum adscendens, descendens et coecum; lymphae exsudatae erant obiecta, eaque partibus vicinis arcte accreta. Vasorum vero incendium ex eorum turgore, numero, tunicarum rubore, quo quidem splendebant colore coccineo, ex membrana demum tubum intestinorum intus obducente, quam maxime elucet.

7) In venam cuniculi adulti jugularem externam semidrachmam tincturae immisi cantharidum. Animal palpitatione cordis, anhelatione, singultu, musculorum vellicatione etc. exinde correptum, paullo post expira-

vit. Sectione instituta, ex venae jugularis rubore ad cordis usque insertionem descendente, vasorum coronariorum turgore, cordisque omnium vasorum quasi injectione, flatum suspicari liceat saltem subinflammatorium.

8) Eodem modo injeci tincturam Euphorbiae, eosdemque animadverti effectus, nisi excipias, mortem citius evenisse, signaque inflammationis paullo esse graviora.

9) Quantitas similis opii solutioris aquosae saturatae, venae jugulari cuniculi infusa, mortem ex cordis maxima agitatione, respirationis anxietate, carotidum vibratione, musculorum convulsione etc. citissime accersivit. Signa dein occurrere evidenter inflammatoria; vena quidem jugularis et externa et interna, axillaris, arteria aorta, carotides maxime rubebant, nec lotionibus ruborem deperdebant. Jugularis frustulum oculo armato texturam vasculorum obtulit praeclaram, eorumque explicatione tunicae passim spissiores fuerant redditae. Aorta, imprimis ipsius magna curvatura, valde rubebat, ac interne mucosae molli erat obiecta. Cordis vasa sanguine impleta, et ad minimum rubore tincta, actio-

num hujus nimium impulsus, statumque sub-inflammatorium prodiderunt. Sanguis corde dextro contentus, coloris erat atrorubri, fibris albis passim striatus. Cerebri demum vasa cuncta sanguine detegebantur expansa, eorum vero incendium ex tunicarum ruboris absentia haud poterat judicari, ita ut ex paralyfi potius turgor sit deducendus.

C O R O L L A R I A.

§. 25.

Physiologicae quaestiones, quamquam doctrinam hominis aegri plurimum antecedant, vel potius huic, ut recte intelligatur, necessario superstructae habeantur, interdum tamen ex singulis peculiaribusque morborum observationibus haud parvum acquirunt veritatis augmentum, quid? quod nonnulla ejusmodi existant problemata, quae nemo unquam solvisset, nisi virium commutatio artificialis veritatis adytum aperuisset. Simili modo et morbus noster descriptus, et pauca ei adjecta experimenta, nova videntur addere argumenta pro sententia stabilienda, quam celeberr.

REIL ²¹⁾ et BRANDIS de organorum motu nuper protulerunt. Consentiant in eo, omnem organorum motum ex materiei decompositione mutuaque ejus attractione esse petendam, sanguinem vero partes praebere constitutivas, quae, ut processui vitali rite inserviant, singulis organis, pro functionis ipsius ratione, large afferantur. Vasa igitur sanguifera, secundum organorum, quibus insunt, actionum conditionem, materiem cito tardiusve advehunt, seu, quod unum idemque, magis minusve functioni prospiciunt. Attamen est pernotum, nullam fieri posse actionum commutationem viribus immutatis, dum vires ipsae actionis cujusvis sint causae proximae; virium vero mutatio nullibi nisi in materiei mutata structura ponenda, quae in vasis omnino dependet a tunicarum vasculis, quae quidem longe alium subeunt usum, quam quod solummodo nutriant; ipsorum impulsu vasorum actiones dirigunt, quas irritata accelerant, debilitata imminuunt, ita ut eorum praesidium et aliorum organorum functiones sequi debeant. — Optime vero vasa cordis coronaria

²¹⁾ Archiv der Physiologie, I. Th.

BRANDIS über die Lebenskraft.

commonfrant, quod, dum materiem afferant decomponendam, cordis motus nutriant, alantque. Celeb. BRANDIS ²²⁾ ex numero jam et magnitudine vasorum muscoli nutritionem longe superante, atque ex materiei, quam venae revehunt, mutatione praeclare suspicatus est, cordis contractiones neutiquam ex sanguinis, cavis ejus suscepti, irritatione, sed potius ex cordis muscoli mutatione interna, cui praesint coronaria, esse petendas, qua de re certiores fieri possimus, si experimenta rem illustrantia, salva vitae integritate, possint institui. — Verosimillimum insuper videtur, mortes subitaneas, quas cordis ardor, palpitatio, anxietas, deliquia animi aliaque praecedunt, multoties posse tribui coronariorum incendio, quod, cum cordis motus turbat, et aliorum organorum in operando concentum cito aufert.

§. 26.

Inflammatiō cum mere morbus sit vasorum ex irritabilitate oscillationeque vasculorum aucta profectus, mihi objici possit: nihil discriminis esse inter inflammationem orga-

²²⁾ l. c. p. 80.

norum vulgarem et illam vaforum tunicarum,
 meque utrosque morbos confundisse. Equidem
 et libenter concedo, credoque, unam inflam-
 mationem ab altera secundum morbi et sedem
 et indolem nullo modo posse distare, distinc-
 tionem illam ufui loquendi esse imputandam.
 Inflammatio nimirum, dum vasa organi alicu-
 jus ad minimum usque occupat ramulum,
 ipsius organi actiones mutabit, quia aucta
 adest materiei, efficaciae organi inservientis,
 advectio; hoc vero phaenomenon occasionem
 forsan praebuit, quod organum ipsum puta-
 runt aegrotum. Inflammatio vero vaforum se-
 orsim spectata, eatenus species morborum phlo-
 gisticorum haberi potest, quatenus tunicas
 eorum vaforum occupat, quae in decomposi-
 tionem materiei hucdum noncooperantur, ideo-
 que aliorum organorum functiones vix per-
 turbat.

§. 27.

Denique hic commemorare liceat, sen-
 tentiam illam, a viris celeberrim. jamjam
 prolatam, febrem scilicet inflammator jam sim-
 plicem, synocham imputrem, febrem arden-
 tem, atque inflammationem totius vaforum

compagis, unum eundemque constituere morbum, nobis maxime arridere. Hoc quidem videtur comprobari tum ex vi causarum remotarum irritabilitatis temperiem attollente, tum ex signis morbi ipsius phlogisticis, demum vero ex ratione solutionis; quae fit vel aucta organorum secretiorum actione, unde sudoris, urinae, salivae profluvium; vel totius inflammationis molis in unum systematicum ramum translatione, quod, si contingit organo interno, saepe lethale est, in externo vero varios variis in locis efformat abscessus; vel uno et quidem maxime memoratu digno exitu modo, quem hucusque sanguinis in pus mutationem nominarunt. 23) Sanguis enim cum post mortem vel pure mixtus vel puris speciem plane ferens fuerit inventus, cumque falsae de puris ortu regnarent opiniones, facillime accidit, ut mutationem sanguinis possint agnoscere. Ex puris vero ortu vasorum ope secernentium, et ex vasorum fan-

23) GRANT über die Fieber, B. I. S. 486.

VOGELS Handbuch, B. I. p. 6.

SELLE pyretolog. p. 107.

REILS Fieberlehre p. 441. I. Th.

guiferorum inflammatione praegressa, facillime efficitur, puris ortum, vasorum tunicarum intimarum secretioni, solummodo esse tribuendum.

T H E S E S.

- 1) Contagia non proximam sed remotam morbi causam constituunt.
 - 2) Consensus partium non semper sequitur nexum nervorum mechanicum.
 - 3) Terris calcareis praeter vim absorbentem convenit vis sedativa.
 - 4) Signa fordium gastricarum non semper indicant evacuantia.
 - 5) Compressio cerebri effusis humoribus causa proxima apoplexiae mihi non videtur.
 - 6) In quibusdam hydropis speciebus anthiphlogistica, immo venaesectio, sunt adhibenda.
-

DOCTISSIMO SIBIQUE AMICISSIMO
S A S S E

S. P. D.

ARNOLDUS THEODORUS SPANNAGEL

ALTENA - MARCANUS,

MED. CAND.

Si, quae jam animum meum agitant, exprimere velim, nihil nisi contraria sibiue invicem pugnantia hae literae contineant. Ab una parte gaudio perfunditur mens mea, ob honores Artis Apollinae Summos TIBI VIR AMICISSIME, eruditionis TUAE praemium justissimum, conferendos: ab alia vero maxima me tristitia incedit, cum video, quem metui dudum, instantem e complexu nostro discessum. Laetor, cum nihil certius esse possit, quam TE in futura tempora spem illam, quam ob raram TUAM dexteritatem de TE cepimus omnes, felicissima praxi impleturum, et debita felicitate fructurum esse; doleo autem, quod avulsum a nobis fata iterum videre forsitan negabunt. Injustus vero esset ille amor, qui suorum incommodorum impatiens, amici commoda non profus suspiceret, iisque gauderet. Multis me TIBI nominibus obtrictum esse fateor, nam et olim in schola patria, intima me amicitia complexus es, et in hac academia doctrina TUA, quam indefesso studio nostrae artis TIBI comparasti, candide prodesse voluisti. Cum igitur animum meum noris, quam gratus iste erga TE, quamque ob honores TUOS, futuramque gloriam TUAM laetus existat, ignorare

non potes. Ubiubi autem terrarum futurus es, dulcissime SASSE, hanc meam erga TE mentem nunquam immutatum iri, habeto persuasum, et quia ipse TU, qui TUAE virtutis candor est, mutari es nescius, amicitia nostra, solido hoc fundamento innixa, immutabilis erit, ac perpetua. Vale. Halae Saxonum die XXX. Octob. 1797.

DOCTORANDO DOCTISSIMO
S A S S E,

AMICO SUO SUAVISSIMO,

H. W. OSTENDORFF,

HAMMONA - GUESTPHALUS,

S. P. D.

Occasio mihi, qua non optatior ulla, suppeditatur die hodierno, quo mihi, nec minus amore quam amicitia admonito, negotium illud quam jucundissimum obire licet, TIBI, Amice, hoc die festo honoribus exornato, vota animi et gratulationes offerendi. Spero, imo jam mihi persuasum habeo, TE illa ceu amicitiae sincerissimae documenta animo, ut fas est, aequissimo excepturum esse. Quam quidem occasionem eo lubentius urgeo, quo arctius amicitiae vinculum nos a teneris conjunxit, et quo magis in mente mea sensus ardescunt gratiarum, quas TIBI pro indicibus amoris TUI quam plurimis debeo. Has tamen grates, licet

verbis tantummodo, nec factis hic exferam, accipias animo benigno, et voluntatem quaeso pro re probes. Faxit numen supremum, ut junctis semper, omne vitae tempus degere, nobis liceat. Fac etiam ut diversitas et loci et temporis aliaeque res oculis nos mutuis subducerent, nil tamen nos unquam prohibebit, quominus mente nos semper complectamur. Hac igitur cogitatione laetissima fretus tecum gaudeo hoc die quam maxime tibi solenni, nec temere mente jam praesagio quam plurimum felicitatis et gloriae, quae vere virtutum tuarum, diligentiae et dexteritatis fructus praemiumque erit. Nec in seio mihi apparatus scientiarum, quibus et ingenio et diligentia adjuvus te imbuiisti, ob oculos versatur imago praeceos faustissimae, quam scientiis illis superstructam, ingenti gloria exercebis. Sed quid utor multis verbis? cur jam antea laudibus te extollo? Artificem optime commendat opus. Sic et ipsa praxis tua futura solertiam tuam et merita satis annunciabit. Potius vero id mihi in causa esse videtur, gratulandi Patri tuo, gratulandi patriae, gratulandi demum urbi, quae praxi tua gaudebit, inprimisque miseris, qui, curae tuae commissi, reviviscant. Det tibi igitur coelum, carissime Sasse, vitam et longissimam et felicissimam, viresque semper incolumes, donec olim senectus talem te acceptura sit, qualem juvenus habuit. Vale mihi que fave. Halae Sax. d. 30. Oct. 1797.

Hi 3334

ULB Halle

3

005 301 785



Handwritten initials or signature in blue ink, possibly 'A.C.' or similar.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

B.I.G.

Farbkarte #13



DE
V A S O R U M
SANGUIFERORUM
INFLAMMATIONE,



TRACTATUS INAUGURALIS,
QUEM
AUCTORITATE
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE
HALENSIS,

PRO
GRADU DOCTORIS MEDICINAE
LEGITIME OBTINENDO,

PUBLICAE DEFENDET
DIE XXX. OCTOBR. MDCCXCVII

A U C T O R
JO. GEORG. GUILIELM. SASSE,
SUSATO - GUESTPHALUS,
SOC. SYDENHAMIANAE HALENSIS SODALIS.

H A L A E,
T Y P I S B A T H E A N I S.
1 7 9 7.